

apostolica auctoritate absolvendi cum congrua poenitentia salutari et reparatione scandalum meliori, quo fieri potest, modo, prudenti iudicio absolventis.

10. In hoc indulto non comprehenditur facultas concedendi impositionem hypothecarum, neque reducendi canonem emphyteusis temporaneae vel nimis onerosae; circa quae recurrendum est in singulis casibus ad S. Sedem. Item non comprehenditur facultas dispensandi ecclesiasticos viros super irregularitate, in quam inciderint ob violatas censuras.

11. Qui, ob paupertatem, compositionem inire nequeunt, absolvi poterunt ab Ordinario cum obligatione, ut, si ad meliorem conditionem devenerint, ecclesiae satisfaciant ac interim scandalum removeant. Item qui statim nequeunt statutam compositionem solvere, si obligationem emittant de ea opportuno tempore solvenda, remoto interim scandalo.

12. Pecuniae vero summas ex compositione acceptas etiam tenues ipse Ordinarius, quamprimum et quam tutissime possit, favore causarum piarum, ad quas de iure pertinent, in titulos liberos [valori al portatore], quos viri competentes tutos agnoverint, investire et ad nutum s. Sedis conservare satagat, neque alienet sine eiusdem venia, neque commutat, nisi urgeat necessitas, et tempus non suppetat recurrendi ad S. Sedem. Quod si supradictae summae pertineant ad causam piam alterius dioecesis, transmittendae erunt ad eiusdem Ordinarium. Si eadem pertineant ad religiosos, requiritur, ut eis tradi possint, venia S. Sedis in singulis casibus. Quod si summae spectarent ad causam piam iam extinctam vel ad ecclesiam, in qua divina officia amplius celebrari non valeant, Ordinarius ipsarum fructus impendat in bonum alterius causae piae, praesertim ecclesiarum, presbyterorum et clericorum pauperum, prout melius in Domino iudicaverit, celebratis tamen missis et ceteris persolutis suffragiis, si quae praefinita fuerint.

13. Circa fundos vero seu iura, quorum valor excedit triginta libellarum millia recurrendum erit ad S. Sedem in singulis casibus.

14. Ordinarius moneat confessarios, ut, si ad poenitentes in periculo mortis constitutos et in praemissis culpabiles vocentur, prudenter compositionem urgeant; quod si haec obtineri nequeat vel quia tempus non suppetit, vel ob rationabiles causas, satis erit, si aegrotus eam heredibus imponat, vel serio promittat eam in futurum, si convaluerit, remoto scandalo¹.

15. Ordinarius, confessariis sibi benevisis, tempore quadragesimae, vel sacramentorum missionum, vel urgente paschali praecepto, facultatem concedere poterit absolvendi eos, qui compositionem statim inire nequeant, dummodo iidem serio promittant, se intra duos menses ab accepta absolutione recursum habituros ad Ordinarium pro obtinenda compositione, remoto interim scandalo. Contrariis quibuscumque non obstantibus².

315. — Sed haec omnia hucusque recensita, ad infirmum Parochiam patefactum aditum supponunt, qua in re quidam temporibus nostris accommodatos casus recolendi sunt, quos recensendo maiorem Pastori afferri utilitatem autumamus. Idcirco:

a) Si aegrotantis familia christiana ac bene composita sit, et si infirmus illa digne se habeat, tunc fere nulli difficultati

¹ In casu cfr. decret. S. Offic. 30 jun. 1886, 20 febr. 1888 ad pag. 335 cit.

² Instruct. S. Poenitent. 15 april 1892. — Pro Gallia cfr. Instruct. Segretar. Status, Ad Ordin. Galliae, 21 sept. 1907.

locus est: sacerdos, enim, benigne excipietur, vel saltem minime respicietur. Attamen et hoc in adiuncto, si Coadiutorem quandam a familia gratiorem haberi possit suspicetur Parochus, ut spirituali aegrotantis bono suavius consulat, suum uti nuncium mittat, vel saltem ut ad aegrotum accedat, eum admoneat. Interdum, enim, sub amicitiae specie, apostolatus munera cum minori fidelium admiratione facilius adimplentur.

b) Si aegrotantis familia, adeo, e contrario, se habeat ut haud de facili Parochum vel alium quemlibet sacerdotem admissura sit praevideatur, ut saltem indirecta ratione ad eum adsciscendum ipsa inducatur, nulli rei Pastor parcat. Si vero nihilo profecerit, nec alia adsint media, dummodo de iniuriosa expulsionem certus omnino non sit, ad familiam ac infirmum accessum, sive per suo nomine missum, sive per litteras, omni cum comitate, prudentia ac patientia, personalem ab ea visitationem exoptulet Parochus. — Si sacerdotale autem ministerium ab aegrotato optatum, familiaribus impediri sciverit, meliori qua potest ratione, impotentis infirmi causam agat urgeatque. Huiusmodi, enim, casus nostris praesertim temporibus, tum ex malis consanguineis, tum ex perversarum sectarum asseclis, frequenter contingere certum est. Sacrosanctae conscientiae libertatis nefanda violatio, ab his perpetrata qui eam verbis celebrare ac usque ad coelum extollere, per fas et per nefas, consuescunt!

c) Cum Parochus ad infirmum notorie infamem aut censuris notorie irretitum pervenerit, nisi aegrotus aliqua ratione [i. e. scripto, vel coram testibus, scandalo satisfecerit] contra ecclesiasticas leges et doctrinas dicta, scripta et facta retractaverit, saltem si has censuras se incursisse infirmus sciverit, absolvi non potest. Si vero, e contrario, eas se non contraxisse, bona fide, putat, seu quorundam probatorum [sive qui tales ab eo censentur] auctoritate suffultus ad proprium casum censuram haud extendi tenet, in casibus extra controversiam positus, attestazione obedientiae in confessione praestita, absolvi potest. Idem dicendum si notorie censuratus qui ex publica censurae cognitione, gravia damna omnibus nota passurus est, dummodo extra confessionem [et, si fieri potest, aliquo cauto teste coram] resipiscentiam suam testetur, et si supervixerit, Ecclesiae standi ac eius satisfaciendi voluntati, polliceatur. — Interim ad fidelium tollendam admirationem [quod et primo in casu servandum] infirmum rite reparasse omnia divulgat Parochus, quo, propter gravia quae diximus omnibus nota damna secutura, plura non exegisse ipsi dignoscent. Utroque vero in adiuncto leonianum decretum¹ prae oculis habeatur, quo, pro in articulo mortis positus

¹ S. Offic. 30 jun. 1886.

omnis censura ac reservatio cessat, addita tamen condicione quod, si supervixerint, superioris mandatis pareant, sub poena reincidenti in censuram¹. — Si autem de insignioribus censuratis agatur, pro quibus publicam retractationem Ecclesiam omnino exposcere praesumendum est, eius nuncupandae formula prudentius, ab Ordinario expeti debet².

d) Si vero, quamvis ab aegroti familia Parochus vocetur, vel et ab infirmo libenter excipiatur, eius opera ab eo recusetur, dum, familiaribus ac amicis in auxilium vocatis, omni industria, comitate ac patientia, impenitentis cor emollire Pastor conatur, ut quae ipse assequi non potest, perficiat Deus tum per se, tum per pias personas, enixas pro infirmo preces fundat. Divinae, enim, misericordiae nil impossibile!

e) Tandem si ad infirmum iam loquela destitutum advocetur Parochus, si adhuc intelligentia polleat, ac ex aliquo saltem nuto quaedam eius rescipientiae indicia dignoscere potest, vel si quamvis sensibus destitutum, de eius christiana voluntate dum sui erat compos, ab infirmo manifestata, publice verbis, aut [securius] scripto chirographo, constet, absolvi potest. Si vero haec signa vel attestations desint, mitiorem iuxta sententiam, sub condicione infirmus absolvi valet. Sed, cum fieri possit ut lucida intelligentiae intervalla habeantur, in quibus quaedam, etsi indirecta, rescipientiae signa praebere infirmus valeat, quoadusque extremum haud ipse emiserit alitum, confessarius infirmum ne deserat. De animae, enim, salute agitur, cui nulla superflua industria.

§ IX. — De sacramentali confessione quoad pueros et sponso, pias feminas ac religiosas, sectarios et scrupulosos ac in peculiaribus adiunctis positos.

SUMMAE RERUM. — 316. Quoad puerorum aetatem quae ex recentiori jure piano recondenda sint — 317. Huius juris normae brevis pastoralis commentatio — 318. Practica in re ratio indigitatur — 319. De sponsorum confessione, et in re peculiare normae — 320. De piarum feminarum confessionibus, et ad rem consilia practica — 321. Quid de sororum religiosarum directione tenendum sit — 322. De malarum sectarum asseclis confitendis, quae canones praecipiant — 323. De ratione agendi cum scrupulosis — 324. Cum quibusdam tum corporis, tum mentis defectu laborantibus ad confessionem quod attinet, quomodo se habere Pastor debeat — 325. Conclusio.

316. — De sacramentali confessione quoad pueros dicentes, qua aetate ad ipsam admitti possint, tempus ac ratio in re utenda, recondenda veniunt, quae omnia, ex ordine, praestabimus. — Quoad aetatem in qua ad confessionem infantes non solum admitti possunt,

¹ Cfr. S. Offic. 16 jan. et 30 mart. 1892. ² Cfr. Frassinetti, *Op. et loc. cit.*

sed immo et debent, SS. D. N. Pii PP. X nuperrimae editae praescriptiones¹ [quibus quaedam consuetudines, iansenistica infectae tabe, ad nihilum rediguntur] perspicue docent:

I. Consuetudo non admittendi ad confessionem pueros, aut numquam absolvendi, cum ad usum rationis pervenerint, est omnino improbanda. Quae Ordinarii locorum, adhibitis etiam remediis iuris, curabunt ut penitus de medio tollantur².

II. Aetas discretionis tum ad Confessionem, tum ad S. Communionem ea est, in qua puer incipit rationari, hoc est circa septimum annum, sive supra, sive etiam infra. Ex hoc tempore incipit obligatio satisfaciendi utrique praecepto Confessionis et Communionis³.

III. Ad primam Confessionem et ad primam Communionem necessaria non est plena et perfecta doctrinae christianae cognitio Puer tamen postea debet integrum catechismum, pro modo suae intelligentiae, gradatim addiscere⁴.

IV. Obligatio praecepti Confessionis et Communionis quae puerum gravat, in eos praecipue recidit qui ipsius curam habere debent, hoc est in parentes, in confessarium, in institutores et in Parochum⁵.

317. — Huius legis observantiae non eo tantum studere Pastores oportet ut ecclesiasticas poenas devitent, sed, in primis et ante omnia, ut sacrosanctum spirituale infantium bonum, minime pessumdent. Enimvero quo iure tanti sacramenti beneficio priventur ipsi qui, uti fideles omnes in Sacro Fonte renati, ad coetera sacramenta suscipienda iure callent, cordati viri dicant. Tali, enim, adiumento ipsi carentes, perversa germina eorum in animis facilius augescunt, quae absque gratia sacramentali, extirpare hucusque ipsis impossibile evaderebat. Sed [certo quodam saltem modo] eos audire ac absque absolutione dimittere eo iniustius haberi debet; quum, ut diximus, posteaquam quisque fidelis, rite dispositus, sua confessus sit peccata, strictum ad absolutionem ius habeat; quo fit ut qui eam, talibus in adiunctis, deneget, gravi culpa coram Deo se adstringat. — Neque ad rem infantium indispositionem in medio adducere licet, quum, consuetis in adiunctis, hac in aetate minime recta praeparatio desit. Insuper praecepta fidei nostrae necessaria scitu eis in mentem recondere, necnon sufficientem confessionis materiam ab eis comiter sciscitare, atque opportunis ac eorum intelligentiae captui accommodatis interrogationibus, peramanter urgere confessarii erit. Coeterum in spectata re, Doctorum sententiae prae oculis habeantur:

I. Si, quoad confessionis materiam, nil aliud quam peccata mortalia, sed dubia, infantes afferant, dummodo requisitas dispositiones habeant, ne, etsi dubie, sub peccatorum graviorum pondere maneat, sub condicione, semper absolvendi sunt⁶.

¹ Decret. *Quam singulari*, cit.

² Id. Ibid.

³ Id. Ibid.

⁴ Id. Ibid.

⁵ Id. Ibid.

⁶ S. Alphonsus, 4, VI, n. 232.

II. Quum nil praeter levia ac dubia peccata pueros produunt, tunc, saltem praecepti paschalis tempore et in mortis periculo positi, certe absolventur sunt ¹.

III. Si has contingant excipias, ne infantes sacramentali gratia priventur diu, [nimirum plus quam per mensem ²], quamvis materiam dubiam afferant, absolutio haud nimis rara cum his esse debet ³.

IV. Attamen [ita Eminentissimus quidam Auctor, moralium ac canonicarum rerum peritissimus] hos pueros qui ad sacramentalem absolutionem non nisi levem eamque dubiam absolutionis materiam proferunt, [quos, igitur, frequenter sola benedictione confessarius dimittit], iuxta decretum *Quam singulari* [inferius explanandum] sufficienti instructione de veritatibus ad Fidem necessaria praestantes, et cum efficaci hortatione ut Sacra Synaxise quam crebrius reficiantur, ad Sacra Mensam non modo confessarius dimittere potest, sed immo et debet ⁴. Sed de hoc statim.

318. — Practica in re ratio, paucis, sic tradi potest:

a) Quoad tempus in quo pueri ad primam confessionem admitti debent, variis in locis, variae de re consuetudines [synodalibus confirmatae legibus] vigent, quas servare decet. Attamen an qui semel vel bis in anno tantum ad hanc sacramentalem confessionem prima vice suscipiendam, suae paroeciae infantes admitterent, vel [peius] ulla absque praeparatione hoc agerent, quanta laude digni sint, de apostolicis ministerii necessitatibus conscii, dicent. In quantum, igitur, fieri potest, tum seorsim, tum simul [sed saltem pluries in anno] pueros ad hanc sacramentalem confessionem sedulo Parochi parent ⁵, qui si in re diligenter se habuerint, optima in sua ditione germina, in tempore [cum magno christianae observantiae emolumento, ac proprio suorumque successorum gaudio] crescitura, pro certo teneant. Nil, enim, christifidelibus utilius quam saluti nostrae sacramentis refici!

b) Quoad rationem vero in re servandam, quae in ad sacerdotem accessu ac permanentia, et a sede confessionali discessu a pueris servanda sint, Pastor vel saltem catechista diligenter eos edoceat, quin [ut in comperto est] de huius sacramenti dotibus, efficacia ac consequentiis [iam superius recensitis] ipsi taceant. Sed in re, tum puerorum memoriae, tum eorum aetatis inconstantiae ac pluribus defectibus ante, in, ac post confessionem sedulo subveniendum est; quod [ut per se patet] multum prudentiae, patientiae caritatisque requirit, quae si desiderentur, prima puerorum confessio in quemdam conventionalem actum miserrime immutaretur. Coetera ad rem Pastoris experientia ac zelus subaudient.

¹ S. Alphons. 4, VI, n. 232.

² Id. Ibid.

³ Cfr. Id. *Homo Apostolic.* tract. XVI, n. 6.

⁴ Gennari, *Il decreto sulla Prima Comunione dei fanciulli.*

⁵ Cfr. SS. D. N. Pii PP. X en encycl. *Acubo nimis* cit. pag. 310.

319. — De sponsum confessionem suscipienda dicentes, ut salubrosa in re nos cautius habeamus, clmi. Berardi, in hoc themate opportuna admonitiones audiantur:

a) « Si sponsus de peccatis carnalibus cum sponsa commissis se accusat, expedire potest ut confessarius licentiam petat utendi tali notitia pro confessione sponsae, si forte huiusmodi peccata non sit accusatura, quam tamen non acceptabit si non libenter ei concedatur. Semper vero si de dictis peccatis sponsa sileret, utrum cum sponso contra sextum deliquisset illam interrogare nihilominus potest. Si sponsa negaret, ne sacramentale laedatur sigillum, insistendum non est, et an absolvi possit, haud unanimis DD. sententia est, sed saltem sub conditione affirmativa probabilior videtur ac in praxi omnino tenenda ». Hucusque clmi A. sententia, paucis, compendio data ¹.

b) Id potissimum semper spectandum est ut prophanatio omnis a sacramento arceatur, omneque avertatur sacrilegiorum, periculum, ex quo infelix coniugii exitus merito timeri deberet. Itaque confessarius qui ad generalem sponsum adhortetur confessionem, non inutilem saepe navabit operam. Hac ratione ab omni mundi peccato, non ex solo libidinis aestu ducti, sed magnum mysterium in Christo et in Ecclesia venerantes, Divina adiuvante Gratia, novum ac saepe complurimis aerumnis ac periculis plenum, sponsi inibunt statum.

c) Si perversi, nimirum, sive consuetudinarii, sive recidivi sacro tribunali sponsi sistant, dummodo dispositi sint, absolvi poterunt. Si, minime vero, humano absque respectu, sine absolutione dimittendi erunt ut a multiplici saltem sacrilegio arceantur, quatenus, videlicet, matrimonii prophanationi, sacrilegam insuper confessionem ac comunione adiungere prohibentur ². Fere numquam, tamen, confessionis schedula ipsis deneganda erit, de qua plura infra ³.

d) Tandem si de matrimonii usu sciscitaret sponsa, non tantum perquam cautissime in re se habeat confessarius, sed ad probam parentem, vel matrinam, amicam, etc., aetate provectam eam dimittat, et generatim ut marito subdita sit suadeat. Plura, enim, in re addere, tam periculosum, ut numquam satis devitabitur.

320. — Quomodo in piarum feminarum excipiendis confessionibus Pastor se habere debeat, pauca: cum his, enim, peculiare scopuli necessitatesque habentur, quibus studere, vel devitare omnino pernecessarium. Itaque quae genuinae inserviunt pietati, ab his quae de pie-

¹ *Op. cit.*, n. 453.

² Cfr. dicta superius, pag. 328 et seq.

³ Cfr. n. 334, pag. 378.

tate quaestum, vel solatium [*sport*] faciunt, sedulo distinguendae veniunt.

a) Cum feminis quae genuinae pietati student, recensitas industrias omnes peculiari ratione adhibeat Pastor, qui ex earum cura tum ipsis, tum his omnibus qui eas circumstant ac cum quibus versantur, magnum spirituale bonum comparabit. — Si vero quasdam spiritualibus exornatas donis, ac ad sublimiorem perfectionem ascendere cupientes invenerit, quae asceticam docet prae oculis ipse habeat; at ne hystericis hallucinationibus fidem praestet, cautiones adhibeat¹. Plurimas, enim, in re [etsi involuntarie] easque versutissimas haberi deceptiones, pro certo Pastor teneat. Nec secus de scrupulosis personis ingeminandum, de quibus mox dicebimus.

b) Quoad devotulas quae ut tempus terant, hinc inde per confessionales ac confessarios devagando ac sacristias frequentando, innumeris ac perniciosissimis diceriis ansam praebent, adeo confessarius rigide se habeat, ut iterum redeundi voluntas haud ipsis suppetat. Necessaria, igitur, praestentur, eorum querimoniis, ac saepe malignis, semper vero versutis narrationibus, ne fidem adjungat, ac ut proprio fidant confessario ipsas suadeat. — Nec dona, neque munuscula ab eis accipiat, neque de his promissionibus fidat; quae etsi solvantur [quod, ut plurimum, sperare vanum] tum temporis, tum, saepe, et boni nominis pretio cariores emuntur!

c) Cum omnibus vero feminis perquam cautus Pastor se gerat; ne ipsis, igitur, fidat, secreta ne pandat, neque missivas quaslibet eis committat. Praesertim vero ne spiritualis sollicitudo in materialem immutetur, earum bona ne administret, et cum pecuniam in depositum offerant, etiam publici lucri gratia ne acceptet; si illae vero de re auxilium vel consilium sciscitentur, ad probos, sed praticos, homines eas dimittat. — peculiari autem ratione ne spiritualium amor ac studium in humanum commutetur affectum, sedula adhibenda est cura, quum complurimos huic periculo subiecisse certo constat.

d) Neque in re annorum numerus sufficiens tutamen: habent, enim, sua quaeque aetas pericula: iuvenilis, quidem, notissima illa, ac cum maiore fidelium scandalo; critica vero quae dicitur [*menopausae*, scilicet, tempore] tam graves ac altissimas in muliebri organismo perturbationes inducit ut, nisi solida omnino pietas firmas in feminas radices figerit, atque austera praecesserit institutio [quod rarissimum], ipsae [praesertim si caelibes, viduae, infelici matrimonio iunctae, ac sine sobole] suorum

¹ Cfr. indic. alphabetic. *Hysterisis*.

actuum conscientiam vix servant. Hinc, inter eas quae inscium sacerdotem sibi acerrime disputant, perridiculae ialousiae, rixae comoedia dignae, felina ac mutua in Ecclesia vigilantia, detractioes, calumniae, epistolae anonimae et ita porro hinc¹, quarum genuinas si Pastor ignoret caussas, tanta corripitur admiratione ut quid diudicandum agendumve sibi sit, penitus nesciat. Verum huius miseriae radices in ipsa muliebri indole ac natura dignoscens [cui, magis quam humana studia, remedium aliquod tempus afferet], ne quid alimenti huic igni praebet, pro sua parte, sollicite ipse caveat; immo, ut, quantum fieri potest, omnia rei incitantamenta auferat, studiose attendat. Contententes vero erga aequa prudentique ratione se habeat, quas quo magis devitabit, eo melius proficiet. Caetera spernat suamque incedat viam.

321. — Quoad Religiosas personas [has, nimirum, quae alicui Congregationi vel Ordini adscriptae sunt] peculiarem earum statum necnon Instituti condiciones, sedulo Pastor perpendat, ne eas laicas uti feminas regat. Ipsi vero [ut omnibus virginibus] meliori modo haud alloqui poterit quam verbis Apostoli monentis ut *cogitent ea quae Domini sunt, ut sanctae sint corpore ac spiritu*², et se *thesaurum suum in fictilibus fragilibusque vasis portare*³ meminerint. Quomodo, continua oratione et cum coelesti Sponso diuturna conversatione, de praeclaro illo Vino germinante virgines alimoniam hauriendo, castitatis coronam pulchriorem in dies reddere valeant, eas admoneat. Ut vanitatem ac superbiam caveant, perniciosum fugiant otium, quasdam personas ac occasiones devitent, eas suadeat. Uno verbo, suarum regularum, et in minimis, observantiam [in quibus earum praevalidum securumque tutamen, ac saluberrima medicina continetur] illis enixe indesinenterque commendat Pastor, qui ut haec omnia facilius assequatur, earum peculiare regulas ac consuetudines dignoscat oportet. — A Superiorissa, neque ante, neque post auditas confessiones, instructiones accipiat, neque relationes obferat. — Praesertim ne Religiosae, remotis in pagis degentibus, earum Instituti spiritum, immo et christianam observantiam amittant, sedulo curabit Pastor, qui si in re diligenter se habebit, quaedam emendanda percipiet. — Hanc, igitur, uti pretiosam sui ministerii partem ipse curet, sed adeo curet ut partialitatem, assiduam consuetudinem, visitationes nimias et ita porro devitando, tum in paroecia, tum extra ipsam, diceriis proprium bonum nomen quam maxime laedentibus, occasionem praebere devitando, et spiritualis Religiosarum profectus in dies augeat. Quan-

¹ Cfr. indic. alphabetic. *Hysterisis*.

³ Cfr. II *Corinth.* IV, 7.

² I *Corinth.* VII, 33.

tum, enim, harum condicio ardua sit, adeo in comperto est ut de ea plura verba facere minime expediat.

322. — Quae vero cum malarum sectarum asseclis Pastoris agendi ratio esse debeat, quoque memorandum. Idcirco¹:

Sacerdos, qui facultate in indulto quinquennali concessa utitur, ante sectarum damnatarum membrorum absolutionem sequentes debet imponere conditiones:

a) Ut a respectiva secta omnino se separet; quod ad absolutionis validitatem pernecessarium;

b) eamque abiuret, saltem coram confessario.

c) ut libros omnes, manuscripta ac signa sectam respicientia, si quae habeat, tradat in manus confessarii, ad Ordinarium caute transmittenda; aut, saltem, si iustae gravesque causae postulent, comburenda.

d) salutarem praeterea poenitentiam iniungat, cum sacramentalis confessionis frequentia aliisque, de iure, imponendis.

323. — De modo agendi cum scrupulosis pauca²:

a) Praecipua scrupulosae conscientiae signa sunt:

I. *pertinacia iudicii*, qua scrupulosus sapientum consiliis parere renuit; consulit multos, sed nemini acquiescit; immo, quo plures audit, eo magis anxius evadit;

II. *frequens iudicii mutatio* ex levibus motivis: unde oritur inconstantia in agendo, mentisque perturbatio;

III. *formidare in omnibus de peccato*, nec uno confessarii dicto contentum esse, sed idem saepius exquirere, etc.

b) Quoad confessarii cum scrupulosis agendi ratione:

I. Confessarius curam dirigendi scrupulosum non suscipiat nisi ille ostendat, se credere, confessarium posse et velle ipsum bene dirigere, simulque spondeat constantiam apud eum, confidentiam in se aperiendo, obedientiam in sequendo, etiam seposito proprio iudicio; hoc, enim, est facillimum et fere unicum medium tales homines iuvandi.

II. Confessarius videat quae sit causa scrupulorum et, quantum penes ipsum est, conetur eam amoliri. Recensentur autem causae sequentes: a) suggestio daemonis; b) consortium scrupulosorum; c) imbecillitas capitis; d) defectus iudicii naturalis; e) complexio corporis ad timorem propensa; f) occulta superbia; g) pusillanimitas et deiectio animi; h) permissio Dei.

III. Confessarius resolute respondeat scrupuloso, non haesitans, nec multum distinguens, sed absolute enuntians quid faciendum sit, semper sequendo partem benigniorem, et dubitationes infirmi inter-

¹ S. Offic. 7 jun. 1838.

² Cfr. Lehmkühl in Schneider, *Man. Sacerdot.*, pag. 321.

pretans in meliorem partem; generationem ne det rationes responsi, quia has scrupulosus postea examinat sibi que reddit dubias ac se magis implicat.

IV. Non patiat sibi proponi quoscumque scrupulos et dubia, sed quando moraliter certus est scrupulum afferri, dimittat etiam ad Communionem non auditum, quia hae interrogationes et frequentes recursus ad confessarium sunt veluti frictio scabiei, quae placet quidem, sed nocet.

V. Quandoque suaviter irrideat, dum infirmus proponit aliqua dubia minus prudentia, iubeatque cogitare quid responsurum esset si ab alio interrogatur, iubeatque idipsum facere.

VI. Commendet ei maxime humilitatem, cum ex vitio superbiae non raro originem ducant scrupuli; praescribat ei, ut abstineat a lectione librorum qui scrupulos fovere possint, scrupulososque devitet. Deinde prohibeat, ne ante confessionem conscientiam examinet circa ea quibus maxime vexatur, sed praesertim exigat ab ipso omnimodam obedientiam erga directorem suum; hoc, enim, praecipuum est, ne dicam unicum, huius infirmitatis spiritualis remedium, ut docent omnes magistri spirituales; et si non obediat, eum increpet, privet Communionem et rigorose coerceat. Licet, enim, scrupulosi regulariter cum dulcedine et mansuetudine sint tractandi, circa obedientiam tamen magnus rigor est adhibendus.

324. — Tandem de quibusdam in tum corporis, tum mentis peculiari condicione positis dicendum superest, qui, ad rem nostram quod pressius attinet, huc redeunt:

a) Surdi quamvis tales, attamen a sacramentali peragenda confessione haud dispensantur; sed ut, in quantum eorum peculiaris condicio sinit, hoc praestent, tenentur. Qua in re sequentia prae oculis habeantur:

I. Quoad locum ubi eorum sacramentalem confessionem audiri debet, iam diximus, nimirum, in sacristia vel alio in loco ubi ipsi sua sensa aperire ac confessorem, in quantum possibile est, audire valeant, quin coeteri utrosque audiant.

II. Surdi, seu surdastri, qui usum loquelae habeant, ad ex parte sua confiteri peccata quae memoriae occurrunt, tenentur. Sed confessarius, ob nimiam interrogandi difficultatem et revelationis periculum, ad confessionis integritatem procurandam, eos interrogare non adstringitur².

b) Muti, vocali confessionis praecepto [ut per se patet] non tenentur. Attamen qui signis integre confiteri non valent, praecepto con-

¹ Cfr. pag. 318, n. 269.

² Cfr. Noldin, *De Sacramentis*, n. 138 et seq.